

lis ac Baptismi Domini festivitates nunquam a Cyrillo fuisse separatas. Quod probari putat novissimus ejus editor verbis Basilii Seleuciensis in homilia de S. Stephano, in qua laudatur Juvenalis, « quod gloriosum ac salutarem Domini natalem celebrare cœperit. » Ibi enim notari censet, natalis Domini 25 Decembris die celebrandi morem primum a Juvenale in Jerosolymitanam ecclesiam inductum esse. Si tamen antiquo scriptori Cosmæ nomine, qui Justiniano imperante florebat, fidem habeamus, Jerosolymitani morem illum ipsius ævo, hoc est sæculo v, nondum susceperant. Sic enim in novissima Chrysostomi editione t. II, p. 353, citatus loquitur : « Soli Jerosolymitani ex conjectura probabili, non tamen ex accurata ratione, in Epiphaniis natale agunt. » Deinde quod de invento Josephi commentario apud Joannem Nicænum dicitur, post Chrysostomi atque mox dicitur Cosmæ tempora excogitatum esse, colligere est ex iis quæ ambo de natali Domini die disserunt. Pro certo enim ponentes, quamvis præter veritatem, Zachariam fuisse summum sacerdotem, eique cum in sancta sanctorum introisset, angelum Domini visum esse, ac Joannis ortum spondisse, hinc consequi putaverunt, ut decima septembris die, qua una per totum annum summo sacerdoti in sancta sanctorum ingredi licebat, contigerit illa promissio; adeoque Christus post sex menses conceptus, mense decembri, non januarii natus sit. Quod quidem Chrysostomus cum debita opera ac multo labore persuadere nitatur, istud non veluti rem a Josepho jam traditam, sed veluti novum argumentum, quod ipse primus e Scripturis eliciat, proponit. Cosmam quoque, cum eodem argumento utitur, illud non e pseudo Julii epistola, sed e Chrysostomi potius homilia sumpsisse inde manifestum est, non modo quod nullam Josephi faciat mentionem, sed et Jerosolymitanos natale Domini in Epiphaniis agendi more nondum abstulisse conceptis verbis tradat. Ignotæ igitur ipsi erant commentitiæ illæ Cyrilli Julique epistolæ, quas idcirco post sæculum v, confictas non immerito suspicemur.

VI. Sane, ut taceamus Josephum non eum fuisse, qui Zachariam simplicem sacerdotem « in ordine vicis suæ » sacerdotio fungentem, et « sorte » ingressum in templum Domini, inter summos sacerdotes computaret, si Cyrillus verum natalis Domini diem edoceri, ac duas festivitates uno die celebrandi labore levare cupiens Julium consulisset, illius consultationi non satisfacisset is papa ex ignoto antea, nec nunc magis noto Josephi commentario, ex quo ad summum dies quo Joannes promissus, non quo conceptus, aut quo Christus natus est, certo ediscitur. Si vero auctoritatem aliquam petiisset Cyrillus, in promptu erat Julio, ut Chrysostomus observavit, ex Romanæ urbis archivo proferre scripturam census, cujus occasione Maria cum sponso suo Bethleem se conferens, ibi Christum peperit. Sed inquisitionibus his relictis, dubitari vix potest quin potius auctor ei fuisset, ut morem sequeretur, quem tota Ecclesia la-

lina ex traditione servabat. Traditionis hujus meminere cum Januarius, ubi ab Augustino quæsit : « Cur anniversarius dies celebrandæ Dominicæ passionis non ad eundem redeat anni diem, sicut dies qua TRADITUR NATUS, » tum Augustinus ubi respondet (*August. epist. an. 119, nunc 65, n. 2*) : « Oportet noveris diem natalem Domini non in sacramento celebrari, sed tantum in memoriam revocari quod natus sit, ac per hoc nil opus erat, nisi revolutum anni diem, quo ipsa res acta est, festa devotione signari. » Hujus autem traditionis vi cessere tandem orientales. Quocirca Chrysostomus primo anno, quo presbyter est inauguratus, adeoque anno Christi 386, Antiochiæ in die natali Domini concionem habens n. 1, ita loquitur : « Nondum decimus annus est, ex quo hic ipse dies manifeste nobis innotuit, ab exordio iis qui in Occidente habitant cognitus. » Et n. 2 : « Romani multo ante et ex antiqua traditione ipsum celebrantes, ad nos usque notitiam illius transmiserunt. » Unde conficitur, ut Antiochena ecclesia natale Domini 25 decembris die celebrare tantum anno 376, aut 377, cœperit. Item ex concione, quam Alexandria Paulus Emesenus episcopus 25 decembris die anni 432, habuit, morem eundem in illa civitate tum receptum fuisse liquet. Gregorius vero Nyssenus homil. de Nat. Dom. ait : « Nunc per totum orbem habitatum diem festum » (natalis Domini) « celebrantium concursus sonus auditur. » Cui favere videtur et Chrysostomus in homilia laudata. Gregorii quoque Nazianzeni orationem 58 habemus de Nativitate Domini Constantinopoli editam, qua hoc festum in illa urbe 25 decembris die actum esse nobis persuadetur. Certe sub ejus finem de ortu Christi prælocutus, subdit : « Ac quidem paulo post et Jesum purgatione mea in Jordane purgari videbis. »

DECRETA JULII PAPÆ I DECEM

JUXTA GRATIANUM ET IVONEM.

PRIMUM.

Turpe lucrum sequitur qui minus emit ut plus vendat, vel quid sit usura.

Quicumque tempore messis vel vindemiæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam vel vinum, verbi gratia, de duobus nummis comparat modium unum, et servat usquedum venundetur denariis quatuor aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.

SECUNDUM.

Reus est animarum presbyter, qui pœnitentiam morientibus abnegat.

Si presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum, quia Dominus dicit : *Quicumque die conversus fuerit peccator ad pœnitentiam, vita vivet, et non morietur (Ezech. 18; Luc. 25)*. Vera enim confessio ultimo tempore esse potest, quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est : sicut latro, unius momenti pœnitentia, meruit esse in paradiso in hora ultimæ confessionis.

TERTIUM.

Post mortem alicujus nullus de ejus consanguinitate sponsam accipiat.

Si quis desponsaverit uxorem, vel subarraverit, et sive præveniente die mortis, sive irruentibus aliis causis, minime eam cognoverit, neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguinitate ejus, eandem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore.

QUARTUM.

Licet servo matrimonia contrahere

Omnibus nobis unus est Pater in cœlis (*Matth. XIII*) et unusquisque dives pauper, servus, et liber, æqualiter pro se, et pro animabus eorum rationem redditori sumus. Quapropter omnes ejuscumque conditionis sint, unam legem (quantum pertinet ad Deum) habere non dubitamus. Si autem omnes unam legem habent, ergo sicut ingenuus dimitti non potest, sic nec servus semel conjugio copulatus ulterius dimitti poterit.

QUINTUM.

Ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris, usque in septimum gradum, nullus ducat uxorem.

Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate suisanguinis vel uxoris, usque septimum generis gradum, uxorem ducere vel incesti macula copulari. Præterea quoque illud adjecimus, quoniam sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic etiam nec licet de consanguinitate uxoris suæ conjugem ducere propter carnis unitatem.

SEXTUM.

Ecclesia semel Deo consecrata quando est iterum consecranda.

De fabrica vero cujuslibet ecclesiæ, si diruta fuerit, instauranda, et si in eo loco consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil judicamus officere, si per eam minime jactetur aqua exorcizata, quia in consecratione cujuslibet ecclesiæ, in qua Spiritus sancti arra non ponitur, celebritatem scimus tantum esse missarum. Et ideo, si qua sanctorum basilica a fundamentis fuerit innovata sine altaris motione, sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit missarum solemnitas celebrata, totius consecratio sanctificationis implebitur. Si vero sanctuaria quæ habebant ablata sunt, rursus eorum depositione, et missarum solemnitate, reverentiam sanctificationis accipiat.

SEPTIMUM.

De his qui sacrificando varie errabant.

Cum omne crimen atque peccatum oblati Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro expiatione delictorum Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contra divinos ordines et apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare; alios quoque intinctam eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere; quosdam etiam expressum vinum in sacramento Domini calicis offerre; alios vero pannum lineum musto intinctum per totum annum reservare, et in

PATROL. VIII.

A tempore sacrificii partem ejus aqua lavare, et sic offerre; quod quam sit evangelicæ et apostolicæ doctrinæ contrarium, et consuetudini ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probatur, a quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Cum enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, nulli lac (*al. non illis*), sed panem tantum et calicem sub hoc sacramento cognoscimus dedisse. Legitur enim in evangelica veritate: *Accepit Jesus panem et calicem, et benedicens dedit discipulis suis (Matth. XXVI)*. Cesset ergo lac sacrificando (*al. in sacrificio*) offerri, quia manifestum et evidens exemplum veritatis evangelicæ illuxit, quod præter panem et vinum aliud offerri non liceat. Illud vero, quod pro complemento communionis intinctam tradunt eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi apostolis corpus suum commendavit et sanguinem. Seorsum enim panis, et seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, exopto illo tantum discipulo, quem intincta buccella magistri proditorum ostenderet, non quæ sacramenti hujus institutionem signaret. Nam quod de expresso botro, id est, de uvarum granis populis communicatur, valde est omnino confusum; sed, si necesse sit, botrus in calice comprimatur, et aqua misceatur: quia calix dominicus juxta canonum præcepta, vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus populum in aqua intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi.

Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credit copulatur et jungitur; quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo quando botrus solus offertur, in quo vini efficacia (*al. efficientia*) tantum designatur, salutis nostræ sacramentum negligitur, quod aqua significatur. Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur. Et ideo, quia jam ex hoc plurima et multiplex majorum manavit sententia, omnis deinceps talis error atque præsumptio cessare debet, ne perversorum et inordinata compago statum veritatis enervet. Et ideo nulli deinceps erit licitum aliud in sacrificiis divinis offerre, nisi juxta antiquorum sententiam conciliorum, panem tantum et calicem vino et aqua permixtum. De cætero aliter quam præceptum est faciens, tamdiu a sacrificando cessabit, quamdiu legitima poenitentiae satisfactione correctus, ad gradum sui officium redeat quod amisit.

OCTAVUM.

(Ex decreto Ivonis Carnotensis desumptum.)

Quid sit Ecclesia.

Ecclesia græcum nomen est quod in latinum vertitur convocatio, propter quod (*al. propterea quod*) ad se omnes vocet. Catholica (id est universalis) ideo

dicitur, quia per universum mundum est constituta. Vel quoniam catholica, hoc est generalis, in eadem doctrina est ad instructionem.

NONUM.

(Ex eodem.)

De illis qui ecclesias incenderunt.

Si quis ecclesiam comburit, quindecim annos pœniteat, et eam sedule restituat, et pretium pauperibus distribuat.

DECIMUM.

(Ex eodem.)

Libertam domino legitime nubere posse.

Si quis ancillam suam libertate donaverit, et in matrimonio sibi sociaverit, dubitabatur apud quosdam, utrum hujusmodi nuptiæ legitimæ esse videantur, an non. Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censuimus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, et nihil impium et legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias inhibendas existimavimus?

EPISTOLA I (1)

INCREPATORIA JULII PAPÆ I AD ORIENTALES EPISCOPOS PRO GAUSIS ATHANASII, ET EXCESSIBUS CONTRA ROMANAM ECCLESIAM.

(Conc. t. II, col. 475.)

- I. Quod soli Romano pontifici licet generale concilium cogere, et episcopos judicare.
- II. Non oportet præter sententiam pontificis Romani concilia celebrare, vel episcopos damnare.
- III. Ut accusatores et accusationes, quas leges sæculi non admittunt, repellantur.
- IV. Si quis episcopum præter auctoritatem sedis apostolicæ damnaverit, vel a sede expulerit, de gradu suo deficiatur, et excommunicetur; et episcopi ejecti restituantur.

Venerabilibus fratribus universis orientalibus episcopis Julius.

Decuerat vos, fratres, alios ecclesiasticis instruere disciplinis, et non talibus arguere machinamentis, dicente Joanne Baptista: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis* (Luc. III), et reliqua. De qua re et apostolus Paulus nos instruit, dicens: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales esis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris* (Gal. VI), et reliqua. Et alibi Petrus apostolus ait (I Pet. III): *Omnes unani-*

(1) Hæc cum seqq. supposita Baronio aliisque eruditibus merito videtur, non secus atque aliæ Isidori merces ex Hispania primum, ut volunt profectæ.

A mes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, et videre dies bonos, coercent linguam suam a malo, et labia sua ne loquantur dolum. Declinet a malo, et faciat bonum: inquirat pacem, et sequatur (al. persequatur) *eam: quia oculi domini super justos, et aures ejus in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala* (Psal. XXXIII). Quid pejus est, fratres, quam ut sacerdotes Domini, qui ab omni mala coinquinatione, et a nocumento omnium Christianorum, quanto magis a fratrum et coepiscoporum, alieni debent existere, quos tueri et sublevare ab insidiis debent, et

B quos fovere et diligere summopere oportet, persequantur eos, et communione privare decertent? Nec recordamini Sapientiam, quæ ait: *Perversæ enim cogitationes separant homines a Deo* (Sap. I)? Si perversæ cogitationes separant homines a Deo, quanto magis opera iniqua? Quid enim nequius est, quam ut illos, de quibus Dominus ait, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei* (Zach. II), quisquam avertere, persequi, destruere nitatur? Probata autem virtus portat, protegit et consolatur oppressos, et docet insipientes. *Est enim Deus testis cordis hominis* (al. humani), *scrutatorque verus singularum conscientiarum, et linguarum singularum auditor: quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis* (Psal. XVII). Et alias idem ipse ait (I Joan. IV): *Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus invicem diligere. Deum nemo vidit unquam: si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc intelligimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum, Salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo, et nos cognovimus, et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timo-*

NOTA SEVERINI BINII.

Epistola increpatoria Julii. Hanc epistolam Feliciano et Titiano consulibus datam anno Christ. 337 ex prima Romana synodo sub Julio habita a pontifice Romano scriptam fuisse his rationibus sic satis evidentibus statuere licet. Primum eodem consulatu Feliciani et Titiani hæc epistola atque Romana synodus consignata sunt. Secundo, quod de injusta Athanasii et Marcelli Ancyрани condemnatione et relegatione facta redarguantur ab his, qui se hunc ob finem con-

venisse in actis synodi aperte profitentur his verbis: *Pro fratrum oppressione tractantes laboremus; quia dum illi tam graviter affliguntur, nos nec respirare, nec quiescere possumus.* Anno Christi 336, Athanasium suis conventibus aliquoties condemnatum relegaverant: quæ cum citra Romani pontificis scitum et consensum contigissent, jure meritoque de nullitate facti, et ecclesiasticarum constitutionum violatione reprehenduntur.